

rialem, Dominia ipsa Dominique Terrestres poterunt talem Conscriptionem facere, ita tamen, ut in Presentia Fidedignitatis eadem perlegatur, et cum praesentibus subditis confrontetur. Haec demum, uti supra attactum est, per Deputatos Communitatum huc Zagrabiam adferant, et huic Deputationi praesentent.

In quibus modo praevio per Deputationem ordinatis conscriptionibus, cum jam pluribus in locis laborabatur, supervenerat gratiosum Suae Excellentiae Banalis Mandatum, Generalem Regni Congregationem in sextam et sequentes Mensis Aprilis Anni labentis indicens. Cum itaque sub decursu Congregationis ob personarum Magistratualium, ipsorumque Dominorum Terrestrium impedimentum in continuatione praescripti laboris progredi non potuerit, atque etiam in expectatione novi Regii hoc in merito subsecuturi, et successive de dato 8. Aprilis Anni modo labentis ad Dominos Status et Ordines expediti Mandati versabatur, ideo a Continuatione inchoatarum revidendarumque conscriptionum supersessum fuit: Et dundaxat assumpta est certa per aeconomicos Montis Claudii Officiales exhibita Instantia sub Nro. 1. Domini Joannis Kesser, Incl. Comitatus Cris: Judicis Nobilium Testimonialibus suffulta.

In quibus sub eodem Nro. adnexis Testimonialibus idem Judex recognovit, quod Is ad requisitionem officialium ad conscribendas virtute Dispositionum Deputationis universas praestationes et obligationes in Arcem Montis Claudii die 8. Mensis Martii Anni currentis advenisset, ac pagos sua serie ad eorum comparandum pro 8. 10. 11. et 12. ejusdem Mensis diebus citasset, et cum ex citatis pro die 9. pagis nemo comparuisset, idem Judex consensu equo ad eosdem pergere constituerit, dumque foret in procinctu, reperit ad capelam Sti: Georgii in conventiculo ad 100 Montis Claudii Incolas, quos dum adhortabatur, ut Inclitae Deputationis et Dominorum Officialium Mandatis pareant, ac uti citati sunt, seriatim in Arcem adveniant, responderunt: Quod illi ad nullam conscriptionem ituri sint, quia tota communitas insimul citata non esset, quodque dundaxat illis privilegiis, quae Vienna advenerunt, inhaereant, quae nisi sub sigillo Regio obtinuerint, semet Viennam 10 aut 20 e medio sui pro iis mittere velle; Interim tamen ad iteratam ejusdem Judicis admonitionem dixerunt: ipsos die sequenti ex quolibet pago duos in arcem missuros, verum eodem Judice per quadriduum ibidem manente, nemo comparuit, sed indesinenter sua conventicula frequentabant.

Unde iidem Officiales aliquid adversi et insperati metuentes, medio praeattactae Instantiae suae pro tempestive subministrando Brachio apud Illustrissimum Dominum Comitem Locumtenentem et Praesidem institerunt.

Post acceptam Instantiam hancce, secunda statim die Incolae Montis Claudii catervatim, numero circiter 300 Zagrabiam advenerunt, in quorum medio e gremio Deputationis Dominus Comes Petkovich exmissus fuit, quatenus sit Causa tam copiosi eorundem adventus, ac cur citati ad Arcem Dominalem non comparuerint? quaesiturus.

Qui homines (uti ex peracto et relato per eandem Dominum Comitem examine, in hoc opere sub Nro. 2. reperibili, apparet) reposuerunt, se idcirco tanto numero comparuisse, quia Domini Officiales Dominales ipsis objicerent, quod non omnes, verum aliqui duntaxat ex ipsis Coriphaei Decisionem Suae Majestatis quaerant, quod ut constet tali numero comparuerunt, desiderantes omnes penes eandem Decisionem vivere et sua Servitia obire.